

illo Xenophonteo, quae in Catonis Magonisque commentariis studiose legerat, quaeque a peritis audiverat, iisdem agricultoribus instituendos apprime curavit. Rem totam, quae ad agros agricolarumque vitam spectat, pro maiorum instituto his in libris complexus est; in primo de agrorum colendorum ratione deque serendis arboribus disserit; in altero sunt multae de re pecuaria quaestiones; in tertio de pabulis, de villaticis fructibus, de ceteris, quae e terra proveniunt, et praecepta inventa tradit. Ne vero molestus fiat continua docendi defatigatione, animos facetiis, nugis, salibus, sententiis, amoenis diverticulis levat, quibus sermonem alternum illi condidunt, quos lepide inter se disputantes in librum inducit.

LXIX. Memoriae proditum est Varroniana haec Virgilium studiose perlegere solitum, ex quorum lectione tanta animi inflammatione afflatuque quasi divino afficiebatur, ut statim mirificum Georgicon carmen suavius pergeret modulari; non inflammationem tantum, inquam, deprompsit; verum etiam praecepta, rerum ordinem, totius carminis contextum desumpsit; quam ob causam Varro poetarum quasi parentis laudem sibi vindicare videtur. Eruditissimi hominis immortalitati, in librorum omnium naufragio — nam exstant, praeter quedam ceterorum voluminum atque sententiarum nonnullarum undique conqueritarum fragmenta, « συναγωγή » quae dicitur, et tres rerum rusticarum libri nec non ex quinque et viginti de lingua latina quinque exesi atque obtruncati — veteres rerum scriptores consuluerunt, qui multis eum laudibus prosecuti sunt. Testem in primis Ciceronem exhibeo, qui propter doctrinam, quam pluribus atque illustrioribus litteris explicavit « πολυγραφώτατον » eum dixit; tum Quintilianum, qui virum Romanorum eruditissimum eundemque linguae latinae et omnis antiquitatis et rerum et consuetudinum sive Graecarum sive Romanarum peritissimum appellavit.

*Cic. XIII. ad Att. 18; Brut. 56. 206;  
Quint. X.  
Inst. I. 95.*

LXX. Cum Varrone, aetate minor, *P. Nigidius Figulus* vir quidem, cum pythagoricis disciplinis eruditus, quae fere

extinctae ad id tempus iacebant, tum satis acer investigator et diligens earum rerum, quae suapte natura involutae aut obscurae videntur. Hic a Cicerone, postquam coniurationem repressit, inter senatores delectus est, qui dicta, interrogata, responsa perscriberet; creatus postea praetor. Hunc Cicero in epistula ad Quintum fratrem, amicissimum et acerrimum civem appellat, quippe qui, cum inter discrimina rerum sibi ipsi satis constans mansisset, neque a Cn. Pompeii amicitia defecisset, in exilium a Caesare actus est ibique, Hieronymo teste, mortuus patria ad diem extremam orbatus.

Plurimos eius libros veteres rerum scriptores memorant, in quibus de rebus variis «*De diis*» «*De extis*» «*De gestu*» «*De ventis*» «*De animalibus*» «*De hominum naturalibus*» «*De augurio privato*» «*De re grammatica*» de aliis disserbat. In pristinum honorem Pythagorae sapientiam, quae aliquot saecula in Italia viguerat, ab eo revocatam esse ex locis Ciceronis quibusdam didicimus, qui Carneadeo more et modo solitum esse saepe cum eo disputare nos docet. Ex librorum vero titulis atque ex Plinii loco, qui eius libros inter fontes suos recensem, rebus naturalibus grammaticisque operam posuisse eruimus. Huic vero famae offecit Varronis doctrina, item multum quod, cum in Pythagoricis abstrusis rebus elaboravisset, a paucis tantum legi et intellegi potuit.

*Cic. pro Sull.  
14; I. ad  
Quint. fr. 2.5.*

*Hieron. Chr.  
ad ann. 709.*

*Cic. IV. ad  
Fam. 13;  
Tim. init.*

*Plin. Elench.  
libr. 6-11 et  
16.*

### CORNELIUS NEPOS

LXXI. In extremos reipublicae annos et primos Augusti Cornelius Nepos incidit, qui tenuis exilisque fuit rerum scriptor; cuius multa vel ignorantur, vel obscura et incerta videntur. In Gallia Transpadana eum ortum esse ex Plinio compertum habemus, qui eum Padi accolam appellat; item ex Plinii Iunioris loco eum in Insubribus esse natum confirmatur. In epistula enim, quam ad Vibium Severum misit,

*Plin. III.*  
*Nat. Hist.*  
 22. 2;  
*Plin. Iun. IV.*  
*Epist.* 28.  
*Cic. XV.* ad  
*Fam.* 16. 1.

« *Herennius Severus* » scribit « *magni aestimat in bibliotheca tua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis et T. Catii* ». Catius autem, Cicerone teste, Insuber fuit. Quo anno natus sit, non satis liquet et fit inter eruditos homines quaestio. Eum tamen constat famam esse consecutum anno ab Urbe condita septingentesimo decimo quarto; nam divus Hieronymus ad hunc annum in chronicis notat « *Cornelius Nepos scriptor historicus clarus habetur* ». Hinc profecto rerum scriptores recentiores nonnulli existimationem et famam eum quinquaginta annos natum collegisse rati, subductis annorum rationibus, ad sexcentesimum sexagesimum quartum annum ortum esse inferunt. Aetate Pomponium Atticum et Catullum longe superavit, etenim, Plinio teste, obiit mox divo Augusto in Urbe principe. Atque etiam de eius vita aut nihil aut non multum novimus, praeter quam quod se a muniberis publicis abstinuit. Catullo, Cicerone, Attico familiariter usus est, quorum primus carmina evulgaturus neminem illo dignorem invenit, cui libellum addiceret:

*Quoi dono lepidum novum libellum  
 Arida modo pumice expolitum?  
 Corneli, tibi; namque tu solebas  
 Meas esse aliquid putare nugas.*

Cicero autem haec in epistula ad Atticum facete scribit:  
*Cic. XVI. ad*  
*Att. 5. 5.*  
*Macr. II.*  
*Satur. 1. 14.*

*Nepotis epistulam exspecto. Cupidus ille mearum? qui ea, quibus maxime γανρω, legenda non putet. Et ais μετ' ἀμύμονα. Tu vero ἀμύμων ille quidem ἄριστος* ». Epistularum magnam quidem copiam Arpinas ad Cornelium misit, siquidem Macrobius eas in libros duos exactas legisse testatur. De amicitia, quam cum Attico habuit, suavissimum ipse monumentum reliquit; etenim in Pomponii vita, quam scripsit, illius liberalitatem, sapientiam, doctrinam, mores ingenuos peramanter officioseque laudibus cumulat. A muniberis pu-

blicis alienissimum fuisse videtur, vel suapte natura ingenioque, vel propter tempora reipublicae libertati adversa, quamquam causam popularem in scriptis tecte defendere non dubitet. Hac de causa ne in ordine quidem senatorio fuisse inscriptum censemus, etsi honore propter rerum multarum notitiam, quam habuit, dignissimus esset.

*Plin. Iun. V.  
Epist. 3.*

*Liber de  
excellentibus  
ducibus*

LXXII. *Eius « Liber de excellentibus ducibus exterarum gentium » superest; nam complures libri, quos scripsit, inter deperditos desiderantur.* Viginti tribus imperatorum vitis constat, Graecorum maximam partem, in quibus Miltiadis vita est, Themistoclis, Aristidis, Alcibiadis, Lysandri, Epaninonidae, Pelopidae, Agesilai, aliorum; tum etiam Carthaginiensium duorum, Hannibalis atque Hamilcaris, quibus accedunt clarorum Romanorum civium duae, quarum altera Attici. Unus hic Nepotis libellus claris in viris laudandis imagines et statuas aliquomodo superat: non enim formam atque lineamenta corporis repraesentat, sed mores potius ea mente depingit, ut virtutes laudet, vitia exprobet. Labentibus in dies Romanorum moribus, exemplaria non a se facta imitanda proponere voluit, quae communem hominum naturam superare viderentur, sed hominibus homines humanitate, probitate, iustitia, innocentia, virtute praeditos sine labore et cum delectatione imitandos indicavit.

LXXIII. *Hanc ob causam sapientibus sententiis, quas de clarorum virorum vita desumit, orationem, tamquam in fabularum clausulis, illustrat et ornat.* Thrasybuli audaciam laudans, quod Phylen, cum triginta tyranni servitute oppressas tenerent Athenas, non plus triginta de suis secum habens configisset, ita sententiam ad omnes dilatat audaces: « *Quae quidem res et illis contemnentibus pernicie et huic despecto saluti fuit. Haec enim illos segnes ad persequendum, hos autem, tempore ad comparandum dato, fecit robustiores. Quo magis praeceptum illud omnium in animis esse debet, nihil in bello oportere contemni, neque sine causa dicitur matrem*

*Trasyb. cap. 2.*

*timidi flere non solere».* Cuius Thrasyboli in vita, Pittaci, qui in sapientium numero est habitus, illud refert, quo Mytilenaeis respondisse traditum est multis iugerum milibus agri eum donari cupientibus: «*Nolite, oro vos, id mihi dare quod multi invideant, plures etiam concupiscant».* Quod quidem ipse naturam ad universam hominum generatim revocat: «*Nam parva munera diutina, locupletia non propria esse consuerunt».* Concinnae acutaeque sententiae aliae sunt, quas, data occasione, de rebus diversis enunciat. «*Omnes autem*» ait «*et dicuntur et habentur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quae libertate usa est».* Cuius causa populus, etsi in Miltiade esset cum summa humanitas tum mira communitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret «*maluit illum innoxium plecti quam se diutius esse in timore».* In locis quibusdam de veteribus loquens cum temporibus suis comparationem instituit.

LXXIV. Narrationes tabulis pictis conferri posse videntur, in quibus colorum pigmenta non fucata sunt, sed domesticis inusta notis veritatis. Quae cuiusque virorum illustrium, quorum vitam et mores exponit, singularia et propria sunt, facile secum illius memoriam perpendens deprehendit, et formam et naturalem cuiusque notam invenit. Ex hac commentandi scribendique ratione fit, ut ipso in narrationis exordio, de laudibus, de vitiis iudicium ferat idque paucis verbis summatim significet, deinde notitiis illustret. Alcibiades suis moribus praeditus, primis paene verbis, penitus cognoscitur: «*In hoc natura quid efficere posset videtur experta. Constat inter omnes qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. Natus in amplissima civitate, summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus ad omnes res aptus consiliique plenus — namque imperator fuit summus et mari et terra — desertus, ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei posset resistere, dives, cum*

*Alcib. cap. 1.*

*Trasyb. cap. 4.*

*Milt. cap. 3.*

*Milt. ibidem*

*tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in vita quam victu, affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens: idem simulac se remiserat neque causa suberat quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam». Clarorum virorum imagines alibi depingit. Aristidem tanta abstinentia et virtute fuisse Arist. cap. I. ait, ut unus post hominum memoriam cognomine *Iustus* sit appellatus. Cuius innocentiae nullum esse certius iudicium affirmat quam quod, cum tantis rebus praefuisset, paupertate tanta decessit, ut qui efferretur vix reliquerit. De Thrasybulo autem haec animadvertenda maxime esse dicit: «*Si per se virtus sine fortuna ponderanda est, dubito an hunc primum ponam. Illud sine dubio: neminem huic praefero sive, constantia, magnitudine animi, in patriam amore*». Epaminondae vero imaginem vitae haud melius exprimere potuit, quam verbis quae pro patria pugnante vulnerato, ab eo prolata refert: «*At Epaminondas, cum animadverteret, mortiferum se vulnus accepisse simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum, usque eo retinuit quoad renuntiatum est vicensse Boeotios. Id postquam audivit “Satis,, inquit “vixi: invictus enim morior,,. Tum ferro extracto confestim exanimatus est*». Epam. cap. 9. Quae quibus poeticis coloribus ad viri occubentis fortitudinem significandam quantaque et dignitate et animi serenitate illustretur nemo est qui non videat.*

LXXV. Liber de excellentibus ducibus, per sumمام auctoris iniuriam, cum anno millesimo quadringentesimo uno post Christum natum typis editus est, sub alieno nomine in lucem venit, propterea quod in chartulis membraneis, in quibus repertus est, Aemilio Probo cuidam addicebatur; at hic Theodosio imperante floruit. Errorem, in quem codicis auctoritate inciderant, qui evulgaverant, critici recentiores

et quaestione hac eruditii multis argumentis emendaverunt, neque ullus hodie est, qui a nostro illum abiudicandum esse censeat. Inter Nepotis libros, maiores numero et rebus praestantiores erant, qui desperiti desiderantur. In istorum numero «*Liber de Latinis historicis*» quo Catonis et Attici vitae, quae manent, continebantur; tum alter «*De grammaticis*» multique alii, qui uno nomine «*Exempla*» inscribebantur. In his libris, ut titulus idem significat, eadem ratione, quā usus est in libro, qui exstat de excellentibus ducibus, maiorum probitatem, integritatem, virtutem corruptis suae memoriae civibus, tamquam exemplaria imitanda, proponebat. Alia quoque Nepotis scripta hominum incuria evanuerunt, in quibus «*Epistulae ad Ciceronem*» quas quidem memorat Lactantius, tum «*Geographicus liber*» de quo apud Plinium mentio est, «*Libri chronici*» denique, in quibus omnium saeculorum memoriam docte quidem et laboriose breviter complecti ausus est; unde Catulli versus :

. . . . . unus Italorum  
Omne aevum tribus explicare chartis  
Doctis, Iuppiter, et laboriosis.

*Cat. Carm. I.  
verss. 5-7.*

*Forcell. in  
Lexico totius  
Latinitatis.*

Multis attenuantibus virtutes et laudes orationis Forcellinum sequor qui hoc iudicium profert : «*Eius nitorem, elegantiam, et puritatem qui laudare velit, actum egerit, cum vel unius pagellae lectio Romani sermonis amatorem satis superque alliciat, et in sui admirationem trahat*» Corneliumque aureae aetatis scriptorem vere aureum appellat, cuius scriptis Latina lingua illustrata est. Evidem narrationes istae — liceat mihi, doctissimo proboque viro mihi familiarissimo contradicente, sententiam meam proferre — quae simplicitate ipsa vehementer probantur et ad altiora intelligenda sternunt viam, pueris a prima aetate instituendis atque ad meliorem vitae cultum educendis, quam maxime opportunae videntur ; incorruptos et antiquos mores redolent, virtutem, sapientiam Romanorum

disciplinam spirant, artem quandam nativam et in animo insitam uno simul tempore sapiunt.

LXXVI. Rationem, qua in componendis libris usus est, ex quodam Nepotis ipsius loco colligimus. In Hannibal's enim vita, quae postrema est, narrationem his verbis concludit: «*Sed nos tempus est huius libri finem facere et Romanorum explicare imperatores, quo facilius collatis utrorumque factis, qui viri preferendi sint, possit iudicari*». Hinc aperi-  
tissime patet eum quaedam quasi virorum clarorum gene-  
ra, ex convenientia et similitudine morum, rerum gestarum,  
studiorum constituisse, et in libros alios excellentium Grae-  
corum exempla, in alios exempla Romanorum, ea mente exe-  
gisse ut, comparationem tacite instituens, alteros alteris vel  
aequasse vel praestitisse probaret. Cum autem traditum sit,  
praeter librum de excellentibus ducibus exterarum nationum,  
et librum de Latinis historicis, in quo Catonis et Attici vitae  
continebantur, tertium de regibus Graecis scripsisse, et quar-  
tum de rerum scriptoribus Latinis, quintumque de poetis deque  
grammaticis, propter geminationem illam, quam modo no-  
tavimus, decem saltem libros, binos videlicet de eadem re,  
**in lucem edidisse licet inferre.**

Hann. 13.

Dio. X. 3. 2.

### C. CRISPUS SALLUSTIUS

LXXVII. Omnibus rerum scriptoribus, qui cum Cicerone fuerunt, ex communi virorum eruditissimorum sententia, longe praestitit C. Crispus Sallustius, qui primus Romano-  
rum historiam ad Graecorum dignitatem et gravitatem pro-  
vexit. Unde Martialis versiculus rei significandae opportunus:

*Primus Romana Crispus in historia.*

Amiterni in Sabinis ex familia plebeia, quae divitiis abunda-  
bat, Calendis octobribus anno sexcentesimo sexagesimo octavo

Mart. XIV.  
Epigr. 191.

post Urbem conditam in lucem editus est. Romam adulescens venit, quo facilius, in urbe omnium disciplinarum officina, litteras et ceterarum rerum sapientiam edisceret; at, in Urbe, quae perniciosa vitiorum sentina facta erat, mox in libidines prolapsus est. Civitatis corruptela depravatus, neque per luxum et ignaviam aetatem egit, neque turpibus flagitiis se dedecoravit, neque languori ac desidiae se penitus dedit. Quin immo stimulis gloriae atque honorum ambitione concitatus, cum ingenium, quod a natura acre et sollers habuit, bonis artibus et studiis excoluisset, ad magistratus et imperia petenda se vertit. Ad hoc aetatis tempus spectant, quae de moribus suis sui ipsius patefaciendi causa sunt in prooemio : « Sed ego » ait « adolescentulus initio sicuti plerique studio ad rem publicam latus sum, ibique multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur insolens malorum artium, tamen inter tanta vita imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur : ac me, quom ab reliquo- rum moribus dissentirem, nihil minus honoris cupido eadem, qua ceteros, fama atque invidia vexabat ».

LXXVIII. Muneribus publicis etiam tunc vacuus Catilinae coniurationem spectavit, pauloque post, cum annum vix vigesimum iniisset, quaestor creatus est, subinde cum tribunus plebis una cum Munatio Plancio et Pompeio Rufo, factus esset, belli civilis incendium in Milonem, suum adversarium, atque etiam in Ciceronem, huius patronum, movit et excitavit. Cum enim Clodius, homo seditiosus atque probris omnibus infamis, cuius suffragio tribuniciam dignitatem consecutus erat, una cum eius asseclis in via Appia a Milone esset occisus, orationem ad populum vehementissimam habuit qua multitudinem adeo concitavit, ut rempublicam ipsam perturbare visus sit. Nam non privatorum tantum civium domus, qui Milonem defenderant, eversae et deletae sunt, sed Hostilia curia etiam, quo patres convenire consueverant,

Sall. Catil.  
cap. 3, 3.

Ascon. in  
Mil. 37.

incendiis vastata. Quam ob causam senatus ne quid detrimenti respublica caperet, Pompeium consulem sine collega, dictatoris instar, eligendum curavit. Qui quidem, cum Milonem propter Clodianam necem exilii poena multasset, in ius cives etiam vocavit, qui plebem ad facinora et incendia sollicitaverant. Hoc iudicio Sallustius absolutus est. Post duos annos tamen patrum rogatu, in crimen de pravis moribus vocatus est et ex ordine senatorio exactus. Civili autem bello commoto, in maximis turbinibus atque fluctibus rei publicae, cum Caesaris partes amplexus esset, in eius castra se contulit. Cuius rei causa in senatum mox eum Caesar restituit, nec ita multo post cum imperio contra Scribonium Libouem et Octavianum et Pompeianos misit, qui post Pharsalicam pugnam magna classe in sinum Illyricum confugerant; deinde secum eum in Africam tulit. Pompeianis ad Thapsum devictis, provinciam illam proconsularem ei administrandam concessit quam malis artibus atque iniquissimis tributis vectigalibusque iussis vexavit, ut ingentem divitiarum copiam compararet. Hinc cum, munere functus, Romam rediit, in Quirinali colle aedes villasque sumptuosissimas sibi aedificavit, amplissimosque hortos arboribus consitos, statuis, diaetics, ambulationibus ornatos extruxit, qui propter magnificentiam etiam nunc fama celebrantur. Post Caesaris obitum a negotiis publicis semotus in historiarum libros consribendos novem annos incubuit. « *Igitur* » de se scribit « *ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit et mihi reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero agrum colundo aut venando, servilibus officiis, intentum aetatem agere; sed a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani earptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere, eo magis quod mihi a spe metu partibus rei publicae animus liber erat* ». E vita septingentesimo duodevicesimo post conditam Urbem anno annos quinquaginta natus migravit.

Tac. XIII.

Ann. 47;

Hist. 62.

Catil. cap.

IV.

LXXIX. Maximas rerum perturbationes eius aetatis, quae populariter concitae rempublicam primo concusserunt postea funditus everterunt, duobus libris summa diligentia narrare sibi statuit; alter istorum «*De coniuratione Catilinae*» seu «*Bellum Catilinarium*» inscribitur, alter autem «*Bellum Iugurthinum*»; uterque ipsius diligentiam summam testatur. Thucydidem, in historiis condendis principem, magistrum secutus est; etenim, ut Graecus bellum Peloponnesiacum, cui interfuerat, quodque Graeciae exitio fuerat, enarrare e republica esse arbitratus est, ita Latinus, ne socordia atque desidia bonum otium contereret, verum ut commodum reipublicae afferret, res praecipuas eius aetatis carptim perscribere instituit, quae memoria digna videbantur. Memorabilem in primis sceleris atque periculi novitate Catilinae coniurationem existimavit, quod facinus quamquam se quam verissime absoluturum profitetur, ita tamen coloravit, ut civitati populari patrocinium suum praebuisse facile pateat.

LXXX. Tribus partibus commentarius constat de Catilinae coniuratione, in quarum prima, tamquam in prooemio, ad explicandam consilii sui rationem Sallustius ingressus, quatuor capita adhibet. Famae et gloriae cupidine commotum se ad historias conscribere nos docet, quas homines, «*qui sese student praestare ceteris animalibus*», aliquo negotio intenti ex praeclaro facinore aut arte bona expectant. «*Quo mihi*» inquit «*rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere, et, quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostram quam maxume longam efficere*». In secunda parte coniurationis semen et originem a corruptis civitatis universae moribus repetens, inter Catilinae et maiorum tempora ea mente praesertim comparationem instituit, ut civitatem *ex concordia* multitudinis non tantum ortam esse ostendat, sed praeceteris populis finitimi legibus, moribus, institutis, bellis eiusdem concordiae gratia incredibiliter viguisse. Exactos reges, qua, cum conservandae libertatis

atque augendae reipublicae causa creati essent, imperium legitimum in superbiam dominationemque converterant; cives iura et libertatem adeptos tantam gloriae cupidinem incessisse ut incredibile memoratu sit, quantum brevi civitas creverit. « *Iam primum* » inquit « *iuentus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usum militiae discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis et conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus non armatus hostis formidulosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maximum certamen inter ipsos erat: pro se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat ».*

*Catil. cap. 7.*

LXXXI. Iam vero temporibus illis Atheniensibus Romanos rerum gestarum magnificentia praestitisse credit, quamquam illorum facta, quia apud illos scriptorum magna ingenia provenere, pro maximis per terrarum orbem celebrantur. Notat videlicet Romanos facere habuisse potius quam dicere et « *sua ab aliis bene facta laudari quam* » ipsos « *aliorum narrare* ». Privatos domesticosque mores quoque integros tunc fuisse docet: « *Boni mores colebantur* » « *ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant* ». Quas maiorum laudes stricta verborum comprehensione ita concludit: « *Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat aequitate, seque remque publicam curabant* ». Non desunt qui haec e communibus locis, qui dicuntur, hausta ab eo esse dicant, ut rhetorum more populum Romauum Romanus laudaret. Sit sane id quidem; mihi tamen ita rebus haec cohaerentia esse videntur, itaque cum consequenti oratione connexa, ut non tamquam eitharoedi prooemium afflictum quoddam, ad legendem sibi aut benevolum aut docilem faciendum, memorata

*Catil. cap. 9.*

credam, sed cohaerens cum toto corpore membrum. Elogium enim, quo nullus rerum scriptor praeclarior de Romanorum ingenio scriptum reliquit, morum corruptorum descriptio sequitur, et teterreme ponitur contra. In hac corruptela civitatis exemplum insigne suis pictum coloribus, ac si in eo uno pertristis perditissimorum hominum imago appareat, eminet Catilina, iuventutis corruptor, malorum causa, innumerabilibus sceleribus onustus et quasi gravatus.

LXXXII. «*L. Catilina*» ait «*nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae algoris vigiliae supra quam quoiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, quoius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus inmoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem *L. Sullae* libido maxima invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque iis artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant». Eosdem ac Catilinae etiam civitatis universae mores fuisse; eadem et vitia, avaritiam et ambitionem, quae malorum omnium causam putat. «*Nam avaritia fidem probitatem ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit: aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodo aestuare, magisque voltum quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post ubi contagio, quasi pestilentia, invasit, civitas immutata, im-**

*Catilinae in-  
genium et  
mores. cap. 5.*

*Civitatis  
vitia, cap. 10.*

*perium ex iustissimo atque optumo crudele intolerandumque factum* ». Ex his civitatis condicionibus ignavissimi iuvenes profluxere, malis artibus imbuti, luxui, lasciviis, ventri dediti, qui, familiaribus opibus deficientibus, ad facinora quaeque paratissimi, ut immodicam divitarum et libidinum sitim probris, stupris, latrociniis sibi fas extinguere fecerint.

LXXXIII. Coniurationis vices in tertia parte narrantur. Catilina improbis sociis amicisque confisus, quos multis modis inlexerat cum opprimendae reipublicae consilium cepisset, primo singulos appellat, hortatur alios, alios temptat, omnes convocat. Senatorii ordinis multi convenere, multi ex coloniis et municipiis; complures praeterea paulo occultius consiliis huiuscce participes nobiles erant. Congregatos in abdita parte aedium, remotis arbitris, proscriptionem locupletium, tabulas novas, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia victorum praemia pollicitus, vehementi oratione inflamat, iisque iure iurando devinctis humani corporis sanguinem vino in pateris permixtum bibendum circumtulisse dicitur. In coniuratis Q. Curius fuit, haud obscuero loco natus, cui cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo erat. Hic, ut in amicae gratiam rediret, cui propter inopiam minus gratus erat, repente maria montes polliceri et minari interdum ferro coepit. At Fulvia, insolentiae Curii causa cognita, quae de coniuratione audierat, auctoris nomine sublato, pluribus narravit.

LXXXIV. Coniurationis fama per Urbem vagante contra Catilinam, qui consulatum popularium suffragiis petebat, habitis comitiis anni sexcentesimi nonagesimi post conditam Urbem, consules Cicero et Antonius declarati sunt. Neque id Catilinae furorem minuit, sed in dies plura hic agitare, arma parare, socios excitare, totam Italiam commovere. Mulieres etiam aliquot, luxu et lascivia corruptas, sibi coniurationis socias ascivisse dicitur, in quibus erat Sempronius, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Huius ita imaginem Sallustius depingit, ut in foemina hac Catilinam

*Coniuratio  
iure iurando  
firmatur,  
capp. 16-23.*

*Coniurationis  
suspicio per  
Urbem serpit,  
cap. 24.*

alterum deprehendas, tantum utriusque mores, additis iis  
 quae mulieris haud ignobilis propria sunt, inter se congruant  
 et convenient. « *Haec mulier* » ait « *genere atque forma,*  
*praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit; litteris*  
*Graecis et Latinis docta, psallere et saltare elegantius quam*  
*necessa est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae*  
*sunt. Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia*  
*fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile*  
*discerneret; lubido sic accensa, ut saepius peteret viros quam*  
*peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum*  
*abiuraverat, caedis conscientia fuerat: luxuria atque inopia*  
*praeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum:*  
*posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto*  
*vel molli vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos*  
*inerat».*

*Semproniae  
effigies cap.  
25.*

*Coniurato-  
rum consilia  
deprehen-  
duntur, capp.  
26-30.*

LXXXV. Auxilio improborum hominum auctus, consulatum in posterum annum sibi petendum esse statuit. Quem quo facilius consequi posset, ratus ex voluntate se Antonio uti posse, Ciceroni omnibus modis insidias parat. Atqui cum dies comitialis adesset, neque res ex sententia evenisset, constituit bellum facere et extrema omnia experiri. In diversas Italiae urbes coniurationis capita mittit. Ipse interim Romae multa simul moliri: consulibus insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere, dies noctesque festinare, vigilare, neque labore fatigari. Coniurationis principes per M. Porcium Laecam convocat, omnia ad bellum parata esse docet, si prius Ciceronem oppressissent. Ad id operam suam C. Cornelius eques Romanus et L. Vargunteius senator polliciti sunt, qui eadem nocte se cum armatis hominibus, sicut salutatum, ad Ciceronem ituros ac de improviso eum imparatum necaturos promittunt. Ubi haec Curius intelligit, per Fulviam dolum Ciceroni renuntiat; coniurati, ianua prohibiti, tantum facinus frustra suscipiunt. rem ad senatum postridie Cicero rettulisset, graviter decretum

*«darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet».* Consules reipublicae saluti ita prospiciunt ut patrum voluntate iussum erat; interim prodigia et portenta, ut in tali re solet, undique ex urbibus Italiae nuntiantur.

LXXXVI. Hoc narrationis loco universae civitatis metum Sallustius summa arte describit. *«Permota civitas atque immutata urbis facies erat. Ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit: festinare, trepidare, neque loco neque homini cuiquam satis credere, neque bellum gerere neque pacem habere, suo quique metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese manus supplices ad caelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare omnia, omnia pavere, superbia atque deliciis omissis sibi patriaeque diffidere».* In magna animorum perturbatione Catilinae crudelis animus neque movetur, neque angitur, neque patriae dolore cruciatur, neque praesidiorum periculo afflictatur. Dissimulandi causa, sicut iurgio lacesitus foret, in senatum venit. Quem ut consul in medios patres venientem conspexit, orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae. Catilina autem simulator et dissimulator qui erat, postulare a patribus, ne quid de se inconsulte crederent. At eo loquente omnes obstrepere, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus *«quoniam quidem circumventus»* inquit *«ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam».* Quae cum dixisset, et e curia domum proripuisset, ex Urbe nocte intempesta discedens in Manliana castra se contulit. Sollicitatis in itinere hominibus, cum fascibus atque aliis imperii insignibus, in castra devenit. His rebus Romae compertis, senatus Catilinam et Manlium hostes iudicat, simulque decernit, uti consules ad defendendam reipublicae dignitatem et libertatem tuendam dilectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persecui mactret, Cicero urbi expectatione et pavore vehementer concitatae praesidio sit et munimento

Magnitudine  
periculi ci-  
vitas permo-  
vetur; Catil-  
ina in sena-  
tum audacter  
venit, Urbe  
egreditur.  
capp. 31-36.

*Quibus de  
causis coniu-  
ratio delituit  
capp. 36-37.*

LXXXVII. Hac narrationis parte, incredibilitate rei permotus, causam exquirit, cur nemo inventus sit qui, ne praemio quidem inductus, coniurationem patefecisset vel a senatu duobus decretis invitatus ab armis sine fraude discessisset. Cuius rei causam nullam aliam invenit, praeter quam quod perditorum hominum inceptis cuncta Italiae plebs faveret. « *Nam semper* » inquit « *in civitate quibus opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student, turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno* ». Item multi quoque ex plebe urbana Catilinae coniurationem probabant, alii propter ingenium suum ad mala facinora natum, alii propter spem divitiarum cumulandarum, multi denique quod, cum post Sullanas victorias ex gregariis militibus nonnullos aetatem regio cultu atque victu agentes viderent, ex Victoria sibi quisque eadem proventura sperabant. Hinc ad narrationem rerum ad finem producendam et properandam revertit.

*Lentuli lit-  
terae ad Ca-  
tilinam inter-  
cipiuntur,  
capp. 38-48.*

LXXXVIII. Lentulus igitur coniuratorum, qui in urbe manserant, princeps, Allobrogum legatos, qui de avaritia magistratum Romanorum questum venerant, multis pollicitationibus sollicitat, urget, impellit, sperans illos facile spe civitatis aere alieno liberandae in bellum societatem adduci posse. Sed Allobroges praemia certa ex Romanorum amicitia si coniurationem detergent, sibi capienda esse rati sunt, cum Victoria ab incertis rerum eventibus penderet; quam ob causam Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio eorum civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt: Cicero per Sangam coniurationis certior factus Allobrogum legatis praecipit, ut studium coniurationis simulent. Lentulus hoc modo deceptus, nihil suspicionis veritus, litteras ad Catilinam per legatos mittit. Cicero, ex cuius consilio coniuratis insidiae extruebantur, praetoribus imperat, ut, collacatis praesidiis, in ponte Milvio Allobroges proficiscentes per-

simulationem deprehendant. Aperto litterarum indicio senatus de coniuratione a Cicerone certior factus immediate decernit ut Lentulus ceterique in liberis custodiis habeantur. Mutabilitatem Romanae plebis hoc loco acute notat Sallustius: « *Interea plebs coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad caelum tollere: veluti ex servitute erupta gaudium atque laetitiam agitabat* ».

LXXXIX. Cicero, convocato senatu, qui paulo ante illos contra rempublicam fecisse iudicaverat, refert quid de eis fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Ex orationibus, quae a patribus habitae sunt, duas refert, alteram Caesaris, alteram Catonis, quarum utramque non verbis iisdem relatam esse censeo. Ex utraque tamen amborum virorum mens animusque mihi spirare videtur; etenim Caesar, qua erat et clementia et humanitate, non aliam poenam sumendam esse censem, praeter quam ut eorum bona publicentur, ipsi vero in vinculis per municipia habeantur. Cato contra periculum a republica non averti posse censem, nisi capitis poena coniuratis irrogetur. Ex huius sententia senatus decernit. A re sua hoc loco iterum Sallustius digrediens, Catonem et Caesarem memoria sua viros duo ingenti virtute maioribus digna, diversis tamen moribus fuisse anima dvertit; quorum naturam moresque instituta iudicatione comparativa ita depingit, ut quae cuiusque propria sint, probe distinguat et notet; quae alter cum altero communia vel similia habeat, componat et illustret. Sunt haec elegantissime scripta, ut nihil genere in eo a rerum narratore ultra obtineri possit.

LXXX. In postrema libri parte belli vices, tamquam in fabula tragica effingit, ut ad finem quam celerrime currant. Vindices de coniuratis, qui Romae in vinculis erant, rerum capitalium supplicium sumunt. Manlius et Catilina, duabus legionibus institutis, patriae arma inferre parant. Antonius cum exercitu adventat, Catilinam per montes iter in Galliam

*Senatus in  
coniuratos  
graviter de-  
cernit, cap-*

49-53.

*Catonis et  
Ciceronis  
ingenium, in-  
doles, mores,  
cap. 54.*

*Coniurato-  
rum quorun-  
dam suppli-  
cium*

*Coniuratio  
morte Catili-  
nae termina-  
tur, capp.  
56-61.*

facientem intercipit. Maxima coniuratorum pars, cum in castra nuntiatum esset supplicium Romae de sociis sumptum, ordines deserunt, fugiunt, dilabuntur. Catilina cum reliquis copiis circumvenitur, milites in rerum desperatione adhortatur; acieque statuta, signa canere iubet. Manlius in primis pugnans cadit, Catilina cum fusas copias videret, « *memor generis atque pristinae suae dignitatis in confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur* ». Coniuratorum virtus in mortuis conspicitur. Omnes amissa anima in loco iacent, quem vivi ceperant, omnes adversis volneribus pectora decorata ostendunt, Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera reperiatur paululum etiam spirans ferociamque animi, quam vivus habuerat, in vultu retinens.

*Bellum Iu-  
gurthinum*

LXXXI. Eadem narrandi ratione atque distributione sententiarum in ordinem quandam ante statutum Sallustius usus est in libro componendo, qui « *Bellum Iugurthinum* » inscribitur. Rem suam arrepturus quaedam praemittit; omnia quae corpori inhaerent et ad corpus spectant, claram faciem, vim et robur, magnas divitias, alia huiuscmodi fluxa et caduca esse, quae cum corpore dilabantur; at ingenii egregia facinora, quae ab aeterno incorruptoque animo promanant, immortalia manere. Ex negotiis, quae ingenio excentur, temporibus inspectis, nullum sibi reipublicaeque utilius esse putat, quam rerum gestarum scriptis memoriam mandare, quae vehementer solet animum ad virtutem accendere. In multitudine rerum memorabilium bellum Iugurthinum duabus de causis sibi narrandum assumit; primum quia magnum atque atrox variaque Victoria fuit; deinde quia homines in populari ratione floentes superbiae nobilitatis obversari ausi sunt. Iugurtha igitur Mastanabalis filius, cum ex concubina natus esset, hereditate a patre exclusus est. In narrationis exordio Iugurthae imaginem his verbis adumbrat: « *Ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxime ingenio validus, non se luxu neque inertia corrum-*

*Narrationis  
proemium  
et Iugurthae  
imago, capp.*

1-7.

*pendum dedit, sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare, et cum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse : ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire : plurimum facere, minumum ipse de se loqui ».*

LXXXII. Hunc igitur Masinissa eius avus, Numidarum rex, moriens privatum dereliquit, quod Manastabal filius e concubina eum genuisset. At Micipsa qui, Manastabale et Gulussa fratribus morbo absumptis, in regnum solus suffectus est, existimans virtutem Iugurthae regno suo gloriae fore, eum adoptavit, eundemque domi suae eodem cultu ac liberos, Adherbalem et Hiempalem, habuit. Attamem veritus postea, ne ob imperii cupidinem aut in se, aut post mortem suam in filios seditionem commoveret, ratus per vim et insidias hominem tam acceptum popularibus opprimi non posse, statuit eum obiectare periculis et eo modo experiri fortunam ; Iugurtham ideo in Hispaniam in sociorum Romanorum auxilium misit. In obsidione Numantiae, Scipione duce spectante, memoranda eximiae virtutis specimina edidit. Eum inde in Africam reversum Micipsa, regno in tres partes diviso, heredem aequem cum filiis constituit. At nec beneficii memor, nec gratus, totius regni potiendi cupidine post Micipsaे obitum arsit : Hiempalem necat, Adherbalem e regno armis oppressum depellit. Hic Romanam profugiens a patris sociis amicisque auxilia petit. Quod cum Jurgutha novisset, legatos suos ad senatum misit, qui magnis muneribus, qui in senatu gratia et auctoritate pollerent eos allicere devincire et in suam causam trahere conarentur. Senatus tamen decem legatos in Africam mittit, qui regnum inter Aderbalem et Iugurtham dividerent. Profectis in Urbem legatis, Iugurtha Aderbalem repente petit, necat, regnum eius occupat.

LXXXIII. Quibus Romam nuntiatis, res est in senatu agitari coepta. Alii in eum graviter animadvertisendum esse dicere, alii Iugurthae pecunia donisque corrupti verba facere, negotium in longum trahere, atrocitatem sceleris minuere

*Iugur  
heres consti-  
tutus exitium  
fratribus ma-  
chinatur,  
capp. 7-12.*

*Romanorum  
legatio de  
regno divi-  
dendo, capp.  
13-26.*

atque lenire. Optimatum favore nisus, interposita publica fide, Romam ipse venit, ubi, corrupto Babio tribuno plebis Massivam, Gulussae filium atque Masinissae nepotem, per Bomilcarem interficiendum curat. Hoc facinore patrato Roma discedere iussus, proficiscens fertur exclamasce : « *Romam venalem et mature peritaram. si emptorem invenerit* ». Bellum, quod leniter gesserat ad id tempus Calpurnius Bestia, renovatur. Romani primo Sp. Postumium Albinum cum imperio mittunt, quem victum Iuguriha sub iugum mittit; deinde Q. Caecilium Metellum, qui, strenue rebus gestis, bis regem profligat. At Iurgurtha fuga ad Bocchum socorum elapsus, resumptis viribus, bellum redintegrat. Romae Metello triumphus decernitur. Demum in Iugurtham vir novus et popularis bellica laude insignis mittitur Marius, qui proeliis duobus copias regis et socii fundit et fugat. Regem fugientem Sulla, Marii quaestor, capit eumque ad Marium vinctum adducit. Bello confecto Iugurtham Romam vinctum adduci nuntiatum est, ut triumphum imperatoris ornaret.

*Bellum Iugurthinum a Mario Sulla que hominibus novis conficitur,*  
capp. 35-113.

LXXXIV. Sallustii auctoritas magna apud multos est et in primis gravis. Res enim ita narrat, ut reapse fuere, si errores quosdam excipias, in quos incaute nolens incidisse videtur. Quidam tamem vitio ascribunt, quod studio partium benevolentiores in Caesarem voluntatem suam declareret, quam in Ciceronem ostendat. Nam illum criminis coniurationis accusatum defendit; in Cicerone, qui rempublicam salvam fecit, ut nihil reperit, quod vituperet, ita nihil reprehendit, quod multa laude dignum censeat. At ne huius quidem in patriam merita occultat. Nam eius industriam in detegenda coniuratione notat, si non laudat, coniuratorum in illum invidiam refert; Ciceronis eiusdem demum gaudium et timorem vi illa atque ardore describit, quanta in homine populari de adversario atque inimico esse poterant. « *At [Ciceronem]* » ait « *ingens cura atque laetitia simul occupavere. Nam laetabatur intellegens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse, porro autem anxius erat dubitans, in ma-*

*Scelus a Iu-  
gurtha in  
Urbe patra-  
tum Roma-  
nos ad bel-  
lum commo-  
vet, capp.  
27-34.*

*Bellum Iu-  
gurthinum a  
Mario Sulla-  
que homini-  
bus novis  
conficitur,  
capp. 35-113.*

*Rerum  
scriptoris  
auctoritas*

*Catil. capp.  
26 et 28.*

*Catil. cap. 46.*

*xumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus es-  
set: poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae rei  
publicae fore credebat»; nemo est qui in verbis Ciceronis  
humanitatem et rei publicae studium depicta ad aequabili-  
tatem narrantis, qui neutri parti faveat apprime non videat.*

LXXXV. Ex his, quae in libro de bello Catilinario insunt, ad Caesarem defendendum omnia rettulisse suspicari licet, nisi ex ceteris id, quod ei erat in proposito, satis aperte pateret. Oculos enim mentisque aciem in malam nobilitatis avaritiam intendit, quod ex altero perfectiore opere facile liquet, quod de bello Iugurthino exaravit. In hoc libro Marium, popularium principem quasi atque auctorem, summis cumulat laudibus, idemque e contrario, ut par est, optimates, qui omnia venalia haberent, offendit et urget. Civilia tamen studia parum veri laudi officiunt, quam aequo animo assiduoque prosequi nititur, etsi interdum ob veri in huiusmodi rebus noscendi difficultatem falsa aut inquisita diligenter minus inveniantur. Praecipua utriusque operis laus in cuncto rerum ordine contextuque consistit in aequataque partium distributione et convenientia, ex quibus mirificam illam formam et quasi temporum imaginem exprimit, quae in utriusque prooemiis, Catonianis coloribus, adumbratur. Quibus si addas industriam et diligentiam in exquirendo quibus causarum nexibus res omnes eveniant, quae ex ipsis necessario consequantur, tum aequum et sincerum animum, quo de hominum cogitationibus atque consiliis acerrime iudicat, tum germanam multitudinis motus indagandi facultatem, facile eum rerum illarum pronunciatorem grandem dices, et Quintilianus sententiae assentieris in historiarum scribendarum laude Thucydidi Sallustium opponenti.

LXXXVI. In eius genere orationis multa verba repe-  
riuntur vetustatem redolentia, quae lepore quodam dicendique elegantia narrationem suffundunt; nam scriptor ac si profi-  
gatae vitae infamia qua adulescens laboravit se purgare queat, ut antiquorum morum innocentiam multis laudibus

*Partis stu-  
dium cum  
veritate  
coniungit*

*Orationis lu-  
mina et  
genus dicendi*

prosequitur, ita maiorum quoque nativa loquendi facultate delectatur. At emendata generatim est et vere Latina eius locutio, ita ut Ciceroni proxime accedat: verbis inquam, quibus utitur genuinis, non eorum quidem copia et abundantia. Strictum, acutum, pressum dicendi genus Sallustius insectatur, quod si hoc quaedam parum aperta aut etiam subobscura facit, rebus plerumque et sententiis, nervos et vires et dignitatem addit, quibus ex Latinis ipse vehementer probatur. Verum hoc presse omnia dicendi studio impulsus verba modo altius translata adhibet, modo alia ex Graeca imitatione exprimit aut excudit, alia nimia modo iam antiquitate desueta ad alia significanda novat; quam ob causam saepius fit, ut nec mollis sit, neque ad omnia flexibilis profluat oratio, immo cum non sine aliqua difficultate mentem quocumque se vertat sequatur, verborum nimium elaborato astrictoque ambitu gravatur et impeditur quasi.

LXXXVII. Sallustii opus ponderosum quidem et grave, quod eius praecipuum habetur, quinque « *Historiarum libris* » constabat, quod extrema aetate, cum scribendi artem penitus noverat, summa adhibita industria, confecit. Hanc ob causam vehementer dolendum est iniuria temporum intercidisse insigne hoc eius memoriae documentum: ex fragmentis enim quae exstant, non res in illis carptim hinc illinc decerpitas et summis labiis delibatas rettulisse colligitur, sed patet scriptorem a bello sociali et civili profectum, quod Sisenna narraverat, res ad id aetatis et causas omnes, quae reipublicae conversionem fecerant, continua narratione esse prosecutum. Sub Sallustii nomine epistulae etiam duae de republica ordinanda atque regenda, quas ad Caesarem misisset, nec non quaedam in Ciceronem declamatio circumferuntur; at stilus diversus atque verborum color non idem profecto ac in ceteris, quae iure Sallustio addicuntur, prohibet omnino, quominus eiusdem auctoris esse censeantur. Evidem eas recentioris rhetoris cuiusdam pensum artificiose compositum

dixerim in declamationibus componendis sese exercentis. Praeter Quintilianum, qui eum cum Thucydide confert, et multa verba illum a Catone furatum esse notat, alii, quos inter Suetonius, Velleius, Martialis alia de causa eum laudant.

*Quint. VIII.  
Inst. 3. 29;  
Suet. Aug.  
86; Vellei. II.  
Hist. Rom.  
36; Mart.  
XIV. Epig.  
191.*

### ORATORES CICERONIS AEQUALES

LXXXVIII. Oratores, qui Ciceronis memoria fuerunt, tantum vi atque dicendi facultate valuerunt, ut optimo iure perfectam omnique ex parte cumulatam eloquentiae laudem sibi vindicent. Ad id enim tempus ex defendendae reipublicae libertatis contentione et desperatione extrema, clarissimorum virorum orationum copia ea provenit, qua neque maiorem neque illustriorem, neque ad discrimina omnia et iudicia paratiorem ulla aut superior aut posterior aetas viderit. Tunc enim in civibus bella civilia machinantibus necdum etiam armis exercitibusque gerentibus, oratores multi et nobiles exstiterunt, qui athletarum instar, in fori pulverem et solem, in senatum, in iudicia, in comitia ad populum, modo de re publicae libertate servanda, de iure legibusque defendendis, de petendis honoribus et magistratibus, modo de re familiari, de suo, vel de aliorum capite in maximis rerum discriminibus et angustiis tuendo, ex militaribus quasi partium et dissentionum tentoriis ad decertandum vel dimicandum de omnium salute processerunt. In oratorum quasi laudabilium numero recensendi: *Licinius Crassus Dives*; duo *Caecilius Metelli*, alter adnomine *Celer*, alter *Nepos*; *Marcius Censorinus*, *L. Torquatus*, *M. Acilius Glabrio*, *C. Calpurnius Piso*, *M. Calidius*; ex eadem familia quattuor, *Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus*, *P. Cornelius Lentulus Sura*, *P. Cornelius Lentulus Spinther*, *L. Cornelius Lentulus Crus*; alii innumerebiles fere, quorum Cicero in Bruto suo meminit; eloquentiae denique universae lumina *L. Licinius Calvus*,

*Cic. Brut.  
passim multis  
in locis*

*C. Asinius Pollio, C. Julius Caesar* — de quo etiam ut oratore supra locuti sumus — *M. Caelius Rufus, M. Iunius Brutus, Q. Hortensius Hortalus* extiterunt; eorum non modo, sed clarissimorum omnium facile princeps *M. Tullius Cicero*.

LXXXIX. Ex germana dicendi facultate et copia, qua sine litteris et arte, sine doctrinis ad prudenter sapienterque dicendum de omnibus rebus, quaecumque in disceptationem cadebant, sapientes Romani antiqui illi ducebantur; importatis artibus et Graecorum litteris, tria eloquentiae genera, valde inter se distantia Ciceronis aetate floruerunt. Primum neque nimis fusum erat, neque nimis pressum, sed prudens, acutum, sincerum, quod, cum in incorrupta sanitate orationis Atticorum propria situm esset, *Atticum* genus nuncupatum est. Secundum tumidum, redundans, inflatum, *Asiaticum* est.

*Liv. XLV. ab Urb. cond. 23.* Nam cum Asianorum ingenia, ut apud Livium est, inaniora esse soleant, «*ut eloquentia e Piraeo erecta est, omnes peragrat insulas atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanitatem perderet ac loqui paene dediceret*». In ubertatem verborum nimis luxuriantem Romae quoque degeneravit. Huius generis duplex species fuit; una in sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis èt venustis posita; altera non tam sententiis abundans, quam copia verborum exornata fluminis instar profluentium. *Rhodium* denique tertium eloquentiae genus medium inter utrumque partem tenebat; neque enim nimis pressi neque nimis redundantes oratores Rhodii erant, sed siores et, ad elocutionem quod attinet, Atticorum similiores.

*Cic. Brut. 13. 51.* *Cic. ibidem 95. 325.* *Cic. ibidem 13. 51.*

C. Dicendi genere attico igitur C. Licinius Macer Calvus usus est, quem in poetarum lyricorum numero paulo supra memoravimus. Lysiam Atticum praे ceteris quam maxime oratorem sibi imitandum proposuit, cuius unus in orationibus stilus est exilis pressusque atque subtilis. Tantum Macer in dicendo praestitit, ut non modo cum Cicerone de principatu